



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Continentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A triduum & quadriduum non adesse, sed diligenter accurateque circuire illam quæritans, quam ubi mox invenit, casu illi obviam factus, non uti solitus erat mitis & blandus, sed asper & horidus in eam insiliit, manibusque primum spiram ad corpus adstrictis, caudæ residuo femora flagellabat, levem quidem iram præ se ferens, quæ licet indulgentia aliqua permixta esset, castigationem tamen aperte demonstraret.

ARAXA. CAP. XXXIII.

Neque quidem dissimulandum, quod Scythæ hujus salacitatis ergo, quæ per Serpentem symbolicè fingitur, Araxam famosæ libidinis feminam, cujus Diodorus tertio meminit, semiviperam figurabant: humana quippe forma umbilico tenus, reliqua Viperina. Ferunt hanc cum Hercule copulatam filios tres genuisse, Agathyrsum, Gelonum, & Scytham juniorem, qui totidem gentium mox autores fuisse perhibentur.

CONTINENTIA. CAP. XXXIV.

In sacris Hebræorum literis, Serpentem æreum Moseos admonitu factum legas, qui adversantem voluptatibus virtutem præ se ferebat, hominemque à pestifero quo vis veneno sospitem reddebat: ea est continentia, atque constantia, atque ideo ex ære, hoc est, fortiori perenniori; materia conformatur: æs enim valdè solidum est, neque ulli obnoxium rubigini, quare *nexas ære trabes*, apud Virgilium legas, ad perennitatem catenarum, & *monumentum ære perennius*, apud Horatium eodem sensu. Idem & viventium salubritati adversus putrescentiam, efficacissimum est remedio. Acuti quoque mucrones ærei cadaveribus infixi, ea ne putrescant, vel, ut diutissimè saltem asseruentur, efficiunt.

CALLIDITAS. CAP. XXXV.

Sed neque calliditas prætereunda est, quæ per Serpentis imaginem indicatur. Et Moses prudentissimum inter bruta Serpentem dixit. Animal præterea motu varium est, atque ad subsidium defensionemque præcipue paratum, quodque hostem ulcisci probe possit & norit. Draconi vero similis est virtus indagatrix, quæ diligenter omnia perscrutetur, rimeturque studiosissimè, ideoque ab acuto visu nomen illi factum. Et quoniam in primis voluptatem ex eo significari diximus, ut quod instat agamus: ea demum vera voluptas est, quæ ex intellectu depurgato, & sano sensu perfectissima redditur, unde absolutum oritur iudicium, quo freti possumus nosmetipsos prudenter tueri, atque sapienter conservare. Quod igitur vitæ periculum amatoriam morsuunculæ, & voluptatum vulnera, intortique deliciarum laquei intentare videbuntur, id omne temperantia depellat, longeque summoveat: Illa enim una incontinentia opponitur adversaria, Equum hæc, utpote ferocientis improbitatis, & vitiosæ cupidinis simulacrum, mordeat, atque ita vitio prostrato, *sesforem in virtutis æqua planitie sanum in columemque sistat.*